

vel extra eandem, Ap. XXII. 14. 15. atq; adeò jam tum omnia nova facta, seu in pristinum statum pro beneplacito Divino reducta sint, Ap. XXI. 5, quomodo ἀποκατάστασις πάντων, restitutio omnium, Act. III. 21. etiam ipsorum hominum & Diabolorum damnatorum post plurimas æternitatum æternitates reparationem & salutem complecti potest.

VII. Si ideò damnati è poenis suis eluctabuntur, quia cruciabuntur non æternùm absolutè, sed in æternitates æternitatum, id est, certas limitatasque æternitatum periodos, finem aliquando habituras, tum & salvati iterum excident è salute, quia & ipsi regnabunt in æternitates æternitatum, Ap. XXII. 5. atque adeò circulus omnium rerum Origenianus reducetur.

VIII. Non ideò finem habituri sunt damnatorum cruciatus, quia rationi nostræ crudele & tyrannicum videtur, DEum longè optimum benignissimumque creaturas suas, quantumvis rebelles, æternis ineffabilibusque tormentis subjicere: quia æquè rationi nostræ crudele videtur, creaturas DEI, quantumvis peccantes, in innumeras æternitatum æternitates cruciari, quod tamen de iisdem enunciari in confesso est, Ap. XX. 10

IX. Cum Christus ideò assumpserit humanam naturam, ut hominem à vinculis mortis atque inferni redimeret, Hebr. II. 14. nec aliter redimere posset; Rom. IX. 32. non autem assumpserit angelos, Hebr. II. 14. ergo nec angelos, vinculis inferni constrictos, Ep. Jud. v. 6. ex inferno, olim salvandos, redemit.

X. Quando supplicium infernale æternum eo modo dicitur, quo & vita gloriosa æterna erit, Matth. XXV. 46. vulgare absolutæ æternitatis significatum ipsa litera innuitur, quæ majori ἐμφάσει per non mori, nec extinguui, Marc. IX. 44. perque tormentum in æternitatem æternitatum durans exponitur, Apoc. XX. 10. Quibus verbis nihil Scriptura Divina significare consuevit, nisi quod finem non habet temporis, ait Augustinus.

XI. Deterrima ante finem mundi quemcunque tempora, qualia prædicit Christus, Matth. XXIV. 37. s. & describit Paulus, II. Tim. III. 1. s. cum Chiliasticâ ante finem mundi felicitate consistere non possunt.

XII. Distinctio inter Evangelium de fide, ab Apostolis prædicatum, Evangelium de Regno, quod novissimis his temporibus in Ecclesiâ personavit, & Evangelium æternum, de restitutione omnium rerum, novissimè ab Angelo, (mare, an foeminâ? nam & apud Psellum Timotheus dubitat, annon detur etiam δαιμόνιον θῆλυ?) non quidem per cælum, per terram tamen publico scripto volante, divulgatum, ipsa novitate suâ veris Evangelii professoribus suspecta meritò habetur.

F I N I S.



Dresd. A 166, Misc 41